



47

DECANUS
COLLEGII THEOLOGICI
IN ELECTORALI UNIVERSITATE
WITTENBERGENSI

JOH. ANDREAS
QVENSTEDT,

S.S. THEOL. D. PROF. PUBL. FA-
CULT. THEOL. SENIOR, CONSISTORII
ECCLESIASTICI ASSESSOR ET TEM-
PLI O. O. SANCTORUM PRÆ-
POSITUS.

LECTURIS

SALUTEM IN DOMINO IESU!

4-2

47



I. N. I.

Sidorus Pelusiota, magni Chrysofomi discipulus de officio eorum, & quibus maximè rebus instructos esse oporteat, qui aut funguntur jam Sacrosancto Ministerio, aut eo functuri sunt propediem, Epistolâ ad Herminum Comitem eleganter monet, quæ omnia ad duo capita revocari possunt, quorum alterum in eruditione ac doctrinâ ad Ecclesiasticam functionem necessariâ positum est, alterum in pietate & vitæ integritate collocatum. Neq; enim alios docere potest, quæ non didicerit aliquis ipse ante. *Sic polleat Episcopus sapientiâ*, inquit *Ambrosius* Mediolanensium Episcopus lib. de dignitate Sacerdotali cap. 4. *ut non tantum creditum sibi populum sufficienter doceat, verum etiam & cunctarum queat hæresium contradictiones à Catholicâ repellere Ecclesiâ.* Proinde seu confirmanda veritas sit, seu refellenda falsitas, necesse est, ut iis literis ante instructus animus sit, sine quarum ope atq; præsidio expediri neutrum rectè atque ordine potest. *Sacerdos indoctus est cæcum animal*, ait *Hieronymus* in Prophet. Malach. In plebejo homine habet ignorantia suam fortassis excusationem, at in Sacerdote, ut *Leo* Papa scribit Epist. IV. ad Episcopos Siciliæ, *vix ferenda est excusatio, quæ pretendat inscitiam.* Imò verò, inquit in aliâ Epistolâ, scil. XXII. ad Clerum & Plebem Constant. *in iis, qui præsumunt, inscitia nec excusatione digna est, nec veniâ.* Benè consummatissimus Theologus, *B. D. Dorscheus* Dissertat. de studii Theologici conformatione, præfixâ Theologiæ Zachar. D. 4. b. *Iniquissimè, inquit, secum & cum aliis agunt, & periculosissimè DEUM offendunt, qui cum se inter primos Dei servos & ministros Ecclesiæ adscribivolunt, multa tamen adhuc, imò plerag; de rebus divinis ignorant, quæ scire possent, nisi nescire mallet, aut sciendi labores fuge-*

fugerent. *Ecquomodo verò anchora esse poterunt fidelium, qui ipsi in tantâ ignorantia fluctuant; Quomodo in Oceano malitia humane ad clavum navis Dominice sedebunt rectores, qui nec helicen habent sapientie colitus revelate, &c.* Et verò Deus ipse scientiam in Ecclesiasticis personis requirit, cum apud Prophetam Hoseam illiteratum à Sacerdotio arcet; Sic enim cap. IV. 6. loquitur; *Quia tu repulisti scientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Repulsio scientiæ, inquit D. B. Meisnerus Com in Hof. ad h. l. pag. 384. quæ primum Sacerdotii scelus est, involvit .1. crassam legis incertitiam, 2. in inquirendo negligentiam, 3. doctrinæ fastidium & contemptum & 4. denique perversam officii administrationem.

Jam pietas in Deum, vitæque integritas licet ab omnibus omninò Christianis requiratur, cum primis tamen ac speciali quâdam ratione in illis vigere debet, qui vel ad Sacrum Ministerium aspirant, vel eo jam funguntur. Absque ea enim nec vera & salutaris scienti rectè acquiri, nec ab eadem fructus & utilitas in Ecclesiam ex illâ redundans sperari potest. Benè Erasmus Libr. 1. Ecclesiast. pag. 654. Oper. Tomo V. *Ut non aliunde fructus uberior Ecclesie venit, quàm à piis Ecclesiasticis, ita non aliunde major perniciēs, quàm ab impiis.* Hinc S. Paulus ad Timoth. γύναιος σεαυτὸν ἐργάζεσθαι, *exerce teipsum ad pietatem.* 1. Timoth. IV. 7. q. d. cogitationem curamque omnem in eam confer, studium omne ei impende. Cum enim ad pietatem, & quæ hujus fundamentum est, timorem DEI, auditores suos vel maximè cohortari debeant Ecclesie ministri, omninò requiratur, ut & ipsi sanctæ erga DEUM pietati studeant, & pietatis studio aliis præluceant. *Tunc Verbi semen, inquit Gregorius lib. II. Pastoral. cap. 7. facile germinat, quando hoc in audientis petore pietas Prædicantis rigat.* Pietatem comitatur vitæ sanctimonia, & morum honestas, quam inter qualitates & requisita Doctoris Ecclesie Apostolus principe loco ponit 1. Tim. III. 2. seq. ac passim inculcat. Confer 1. Tim. VI. 11. Tit. 1. 7. 8. Si enim cum fructu in hoc officio versari vult divini Verbi minister, necesse est, ut vitam vivat orationi respondentem; ut præbeat seipsum auditorib9 suis virtutum omnium formam ac exemplar, ut in ipsius vitam, velut speculum intuentes, à turpibus dictis, factisque avertantur. Hinc Apostolus Paulus quos format populi magistros, Timotheum & Titum jubet seipso eorum, quæ docent, exempla præbere, 1. Timoth. IV. 2. Tit. II. 7. ad quem locum Hieronymus in Comment.

)2(

Nihil

14011

Nihil prodest, aliquem exercitatum esse in dicendo, & ad loquendum trivisse linguam, nisi plus exemplo docuerit, quàm verbo. Idem hac de re egregiè admonet Heliodorum Episcopum in Epitaphio Nepotiani Tom. I. Oper. fol. 18. a. Edit. Basil. Froben. *In te, inquit, omnium oculi diriguntur, doctus tua & conversatio, quasi in speculâ constituta, magistra est publica disciplina; Quicquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Cave ne committas, quod aut qui reprehendere volunt, dignè lacerasse videantur, aut, qui imitari, cogantur delinquere.* Et in Epistol. ad Nepotian. de vita Clericor. ibid. fol. 16. a. scribit; *Non confundant opera sermonem tuum, ne quum in Ecclesiâ loqueris, tacitus quilibet respondeat; Cur ergò hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus Magister est, qui pleno ventre de jejunis disputat, accusare avaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manus, concordent.* Paria habet Augustinus lib. IV. de Doctrinâ Christianâ cap. 27. *Abundant, inquit, qui male vitæ suæ defensionem ex ipsis suis prepositis & doctõribus quarunt, respondentes corde suo, aut etiam, si ad hoc erumpunt, ore suo, atq; dicentes; Quod mihi precipis, cur ipse non facis? Minister Verbi divini ingenii ac eruditionis copia admirationi esse poterit, utilitatem afferre vix poterit, nisi sanctitatem vitæ cum eruditione conjungat.* Quare hæc duo separanda minimè sunt, dandaque sedulò opera Sacerdoti aut Sacerdotio destinato, ut vitæ juxta & eruditionis curam habeat, ut curæ suæ commissos per rectam doctrinam simul instruat, & per bona exempla. *Non potest autoritatem habere sermo, qui non juvatur exemplo,* inquit Cassiodorus lib. II. Var. Epist. 8. Graviter Apostolus Diaconos monet 1. Timoth. III. 9. *Ut teneant τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρῇ συνειδήσει, mysterium fidei in purâ conscientiâ; Hoc est,* inquit Theophylactus, *post susceptam dogmatis rectitudinem & vitam degant, quæ criminis nequeat incusari. Est namque purior conscientia in vitâ irreprehensibili sita: Similiter ante eum Theodoretus. Benè D. Argid. Hunnius Com. in I. Epist. ad Timoth. ad h. l. fol. 786. Habentes mysterium fidei &c. Duo, ait, his efflagitat 1. cognitionem mysterii fidei, i. e. doctrinæ Evangelii, quæ non naturâ, sed DEI patefactione nobis innotescit, ideoq; mysterium dicitur. Hoc mysterium vult Diaconis esse probè notum, nam ut alios doceant, necesse est, ipsi prius illud didicerint. Deinde verò huic mysterio fidei puram conscientiam adjungit, ne quam conscientia suâ labem aspergant flagitiosâ vitâ, vel Evangelio maculam inurant. Hæc ille. Si autem hoc à Diaconis requiritur, quantò magis ab Episcopis?*

Probè

Probè hæc perpendens plurimum Reverendus, ac pietate, virtute
atque eruditione præcellentissimus Candidatus noster, DN. M. NICO-
LAUS CHRISTOPHORUS REMLINGIUS, hætenus amplissimi Ordinis
Philosophici Adjunctus, nunc designatus Aulae & Territorii Dondan-
gensis Pastor Primarius, Ecclesiarumque ibidem Inspector, operam de-
dit sedulo, ut non solum animum instrueret scientiâ ad Ecclesiasticum
munus obeundum necessariâ, sed & vitam ac mores ita componeret, ut
cum fructu illi aliquando præesse possit. Natus is est in Curlandiâ an-
no recuperatæ per Christum gratiæ clæ lœ LVII. d. 2. Octobr. Patre,
admodum Reverendo, Amplissimo atque Clarissimo, DN. M. GER-
HARDO REMLINGIO, nunc Pastore Grubiniensium Primario, hujusque
Districtus Præposito, atque Ducalis Consistorii Assessore, Viro integro
& de Ecclesiâ Christi optimè merito; Matre verò ELISABETHA
MARGARETHA SCHMIDEN, virtutibus ac nascendi sorte conspicuâ
fœminâ. Hi Parentes omnem curam atque industriam in fingendo pu-
erulo, cum erectam præcipuè persentirent indolem, posuerunt, & opti-
mam de eo, nescio quo omine, conceperunt spem, cui ut ubique respon-
deret REMLINGIUS noster, animum semper intendit. Ac licet Præ-
ceptoribus committeretur formandus ac poliendus filius, atque sub eorum
ductu literarum tyrocinia feliciter perageret, ipse tamen Pater suarum
partium esse putavit, solidioris doctrinæ lineas ducere, qui & adductis
sæpius majorum suorum exemplis, præprimis JOHANNIS BÜGENHA-
GII, à patriâ vulgò dicti *Pomerani*, fidi B. LUTHERI magni illius ac
principis Christianæ doctrinæ repurgatoris, ac Antichristi Romani reve-
latoris Parastatæ, atque Ecclesiarum inferioris Saxoniae, Pomeraniae, Da-
niae, &c. felicissimi Reformatoris, Ejusque Generi, M. ANTONII REM-
LINGII, Superintendentis Pomeraniae, Principibus illius Provinciae ac-
ceptissimi, atque in Chronico Ecclesiæ Pomeraniae maximis laudibus e-
vecti, ita animum Filii excitavit, ut flagrantissimo ardore in addiscendas
litteras ferretur. Magna enim Exemplorum Majorum vis est in accen-
dendis ad virtutem animis; quando namque aliorum, præsertim suorum
egregias virtutes contemplantur animi generosi, fieri non potest, quin
mirifico æmulationis studio inflammentur. Eo itaque virtutis atque
eruditionis brevi temporis periodo profecit Noster, ut mores ad devoti-
onem, pietatem, mansuetudinem, modestiam, docilitatem & humanita-
tem composuerit. Postquam verò in Patriâ fundamenta piæ eruditio-

ni

his & eruditæ pietatis jecisset jamq̄ve ad altiora contenderet, exacto XVII. ætatis anno in Upsaliensem Suecorum Academiam primum ablegatus est, ubi celeberrimo SCHEFERO acceptus fuit, qui juxta cum NORCOPENSI Eloquentiæ Professore clarissimo multum ejus studia adjuvit in proponendis potissimum styli exercitiis. Visis ibidem Serenissimi ac potentissimi jam regnantis Caroli XI. Regis coronationis solemnibus in Patriam remeavit, indeque in Academiam Regiomontanam se contulit, ubi præceptoribus usus est Amplissimo GOLDBACHIO, Historiarum Professore celeberrimo, Clarissimo M. CASPARI, tunc temporis Convictorii, atq̄ue Electoralium Alumnorum Subinspectore, nunc apud Rigenes in Livoniâ Ecclesiastæ & Professore meritissimo. Dehinc anno M DC LXXVII. Academiæ nostræ Leucoræ felicem pedem intulit, & à Magnifico ejus temporis Rectore, DNO. JOHANNE STRAUCHIO Med. D. & Prof. Publ. celeberrimo in Album Reipublicæ Literariæ relatus fuit. Noverat REMLINGIUS noster, noverat discendi, non otian- di, non luxuriandi gratiâ degendum hic sibi esse. Unde in frequen- tandis publicis, privatisque Scholis totus atque assiduus Præceptores na- ctus sequutusq̄; inprimis diligenter est M. FRID. CHRISTIAN. BÜCHER- RUM, tunc Amplissimi Ordinis Philosophici Adjunctum, nunc Ecclesi- asten Dantiscanum, ejusque manu ductione in addiscendis præceptis Lo- gicis, Metaphysicis, Pneumaticis & Exercitiis Disputariis habendis feliciter usus est. Tum quoque Excellentissimi DNI CHRISTIANI DONATI Log. ac Metaphys. P.P. Ord, Scholas Physicas & Metaphysicas sedulo fre- quentavit. In Græcâ Literaturâ Virum celeberrimum B. BALTHAS STOLBERGIUM, Græcar. L. P. P. Collegia aliquot Hermeneutica insti- tuentem insigni cum fructu audivit. Excellentissimum DNUM. CON- RADUM SAMUELEM SCHURTZFLEISCHIUM optatissimum in Hi- storiarum cognitione doctorem meritò laudat, ejusque singularem fa- vorem multis modis prædicat. Hinc de gradu in Philosophiâ supremo petendo sagax atque industrius Anno M DC LXXVIII. præmium labo- rum Philosophicorum adeptus est, ab Amplissimæ Facultatis Philosophicæ ejus temp. Decano ac Brabeutâ, Excellentissimo DNO. GEORG. CASP. KIRCHMAJERO Eloqu. P.P. inter XVI. Competitores secundo loco po- situs, quem locum etiam ornare omni nisu contendit, dum præmissâ Di- sputatione Historicâ sub Præsidio supra laudati DNI SCHURTZFLEI- SCHII altiore cathedram ipse dimidio à promotione anno conscendit,
& ma-

& magno audientium applausu, apertis privatis Scholis, studia Philosophica, tum quoque frequentibus Disputationibus Moralibus atque Historicis multâ accessione adjuvit. Cum autem totum sese SS. Theologia, quam præcipuum studiorum suorum scopum fixerat, consecrasset, contubernio atque convictu Minorum Theologorum in hac Academia perpetuò usus est, ut eorum Bibliothecis, conversatione, colloquio ac consilio eò commodius frui posset, nec ab Hospitum solum, sed & reliquorum Theologorum ore assidue pependit, illorumque Lectionibus ac Disputationibus publicis & privatis constanter interfuit. B. D. ABRAHAM CALOVIUS, Gener ac Collega meus desideratissimus in explicandis Theologiae fundamentis ex Systemate suo Theologico ipsi genuinus Praeceptor fuit, cui etiam publicè Theologiam Positivam prælegenti vacillas aures præbuit. Pari diligentia B. DN. JOHAN. MEISNERI Scholas Disputatorias & Lectorias frequentavit. DN. D. JOHAN. DEUTSCHMANNI, Dni Affinis, Collegæ & Compatri mei Coniunctissimi, ac Hospitis sui honoratissimi informatione usus multum est, & de Paradisiacâ hominis integri Theologiam Ipso præside cum laude disputavit; Me quoque, cujus aedes hæcenus semper habitavit, Theologiam Thetico-Polemicam explicantè publicè & privatim sedulo audivit, atq; sub meo præsidio ex Ethicâ Pastoralis disputavit. Hanc sedulitatem morumq; probitatem videns Amplissimum Philosophorum Collegium anno clc lxxxvi. Decano Excellentissimo DN. SCHURTZFLEISCHIO, eum inter Ordinis sui Adfessores recepit. Quam spartam quantâ industriâ in proponendis intra privatos parietes doctrinæ Philosophicæ fundamentis in magno studiorum concursu ornaverit, neminem temerè lateret. Utque dona divinitus accepta magis magisque augere posset, potestas, a Venerando Collegio Theologico ipsi concessa est Scholas Theologicas privatas aperiendi. De cætero, toto isto tempore, quo studiorum gratia apud Nos egit, pietate, probitate, modestiâ ac sobrietate sese omnibus commendavit. Cum verò Deus Opt. Max. qui solus operarios in messem suam extrudit, Candidatum nostrum, nihil tale sperantem ad splendidum istud, ut supra insinuavimus, Ecclesiasticum munus evocasset, isque significaret Nobis, placere Illustrissimæ Dominae suæ ut publicum eruditionis Theologicae testimonium ac Licentiam prensandi summos in Theologia honores à nostra Facultate modestè ac reverenter peteret, haud gravatim votis atque petitis Ejus locum reliquimus, atque ut specimina publica, quæ tenore
statu

statutorum nostrorum à Theologiæ Candidatis exiguntur, ederet, potestatem dedimus. Horum verò initium cum præmissa Oratione cras Deo clementer annuente horâ IX. à Lectione cursoriâ, quam deinceps ex Matth III. 16. 17. de illustri illa Θεοφανεῖα Jordanicâ, instituet, facturus sit, Magnificum *Academiæ* hujus **RECTOREM**, omnesque Patres ac *Cives Academicos* officiosè & peramanter non tam meo, quàm totius *Collegii* nostri nomine rogo, ut *Craftinâ* die horâ dictâ, honorificâ & gratâ suâ præsentîâ actum hunc Solemnem condecorare non dedignentur. Dominus **JESUS** dirigat institutum hoc nostrum ad *Nominis* sui gloriam, ad *Ecclesiæ* incrementum, veritatis salvificæ stabilimentum, & *Academiæ* nostræ ornamentum. Per scriptum **VVittenbergæ**, & sigillo **Facultatis Theologiæ** firmatum, *Dominicâ II. post Trinitat.* A. D. M DC LXXXVI.

LXXXVI.



